



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De vinculo vnitatis & vniuersitatis 27

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

& sponsa Christi, sed quemadmodum Prophetæ, Christus & Apostoli eos reprehendunt, populus Sodomæ & Gomorrhæ, meretrix & adultera, quæ à Messia desciverat. Es. I. & passim in Prophetis. *Non Israel, non filij Abraham, aut Iudæi, sed gemina uiperarum, & filij diaboli.* Matt. 3. 23. Ioan. 8. Rom. 2. & 9. Etiam si Dominus semper ut temporibus Helix, in tali Ecclesiarum deuastatione multa adhuc millia in vera fide conseruauit, ueramque communionem inter eos habuit, latenter tamen & sparsim, non ut ecclesiam, h. e. publice collectam. Hoc autem loco de externis & uisibilibus Ecclesiis Dei agitur, quibus se Christiani adiungere, quasque audire debeant. Quemadmodum igitur apud Iudæos in publica religionis administratione, apud ordinarios Sacerdotes & Prophetas, uera & uisibilis Ecclesia Dei non erat, sed potius uerarum Ecclesiarum & membrorum Christi persecutio, id quod spiritus S. per Ieremiam, Ezechielem, & alios Prophetas in plurimis locis testatur ac deplorat: sic etiam nunc in Christianismo plurimis in locis contingit, & adhuc quotidie contingit, ubi tamem aliquando fuerunt florentissimæ & celeberrimæ Ecclesie Christi. Quamobrem in omni uera Ecclesia Christi præter puram doctrinam & Sacramenta, publica quoque professio doctrinæ, cum uera inuocatione nominis diuini, & traditione in omnem disciplinam & obedientiam Christi, necessariò requiritur, quemadmodum liber Reformationis docet. Quapropter & hac in parte Accusatio Aduersariorum otiosa & inanis calumnia est.

De uinculis Vnitatis & Vniuersitatis.

CAP. XXVII.



ERTIO dicunt in præsentis Accusatione Aduersarij, librum Reformationis duo præcipua Ecclesie signa silentio præterisse, Vinculum uidelicet unitatis & pacis: & deinde Vniuersitatem: quia nempe diffusa est Ecclesia, & diffundi atque ampliari debet, per omnia loca ad fines usque orbis terrarum.

Responsio. Et primum de uinculo unitatis & pacis.

Vbicunque uera professio, pura doctrina, disciplina & obedientia Christi uiget, in omnibus que Dominus & mandauit & docuit, nunquid ibi uinculum unitatis & pacis Christianæ desiderari potest? Quid enim aliud est uinculum unitatis, quam uera fides, & uera dilectio Christi, per quam quilibet fidelium ad Euangelium, & in communicationem Christi, cum omnibus membris, quæ unquam fuerunt, adhuc sunt, & deinceps futura sunt, proficitur, seque ipsum in omnem obedientiam Euangelij tradit: ad doctrinam, admonitionem, & correctionem Christi ab omnibus Christianis, præcipue uero à præpositis Ecclesie, uera humilitate suscipiendum, eique per omnia obtemperandum? Quemadmodum liber Reformationis hæc omnia expressè docet. Iam totum hoc in uera Christianæ doctrinæ confessione, unà cum disciplina & obedientia comprehensum est: quam liber Reformationis ponit tertium signum Ecclesie. Rursus igitur iniuriam ei faciunt Aduersarij, dicendo quod tertium Ecclesie iudicium prætermiserit.

Cæterum de quarto eorum signo, quod ponunt Vniuersitatem prolixius agendum est. Si n. uniuersitas illa sic intelligatur, quemadmodum Aduersarij exponunt, pro diffusum esse per omnia loca ad fines usque orbis terrarum.

tunc Satanae quoque cœtui hoc signum conveniret: nam & ipse suos habet per omnia loca, quàm latè hic orbis patet, hinc inde dispersos. Ipsi verò cum turba sua hoc eodem signo carerent, propterea quòd eorum ritus non ubique per totum orbem observantur.

Si verò Vniuersitatem ita intelligunt: Quod oporteat omnem Ecclesiam Christi in obseruatione religionis congruere cum omnibus hominibus per totum mundum, quàm latè hic orbis patet, qui de nomine Christi gloriantur, rursus consistere nequit, ut vniuersitas ista sit iudiciũ verarũ Ecclesiarũ Christi. Etenim iam dudũ religionis negotiũ apud plurimas gentes in hoc mundo eò peruenit, ut ne ipsi quidem Aduersarij dicturi sint. Eum cœtum non esse Christianam Ecclesiam, qui in obseruatione religionis cum illis populis non conueniat. Cũ igitur neque hominum, neque administrationis in toto mũdo vniuersitas proprietates Christianę Ecclesię esse possit, quẽadmodũ Aduersarij ipsi fatentur, viderint ipsi, quomodo vniuersitatem Ecclesiarum Christi iudicium constituere, & quomodo eam intelligere velint.

Verũ quidẽ est, Dominus emisit Apostolos suos in vniuersũ orbẽ, ad oẽs gẽtes, iussitq; eos *Euãgeliũ, pœnitentiã & remissionẽ peccatorũ annũciare omnib; creaturis, ac testos sibi esse, vsq; ad finẽ orbis terrarũ*, Matt. Marc. Luc. vlt. Act. i. Ad hæc temporib; Pauli Euangelium iam fructum protulerat in vniuerso mũdo, Col. i. *Quamobrẽ pater Christo filio suo, statim post exaltationẽ eius, cœpit omn. s gẽtes tradere in hereditatẽ, & omnes fines terra in peculium: adeo vt ubique in nationibus totius orbis Ecclesię Christi extiterint*. Vnde etiã populus Christi per totũ orbẽ diffusus & dispersus, Catholica Ecclesia à Patribus appellatur. Nõ quod oporteat eã omnibus tẽporibus inter omnes gẽtes, & omnib; in locis esse visibilẽ Christianã Ecclesiã: sed quòd nõ amplius vni tãtũ populo propria sit, quẽadmodũ ante aduẽtũ Christi populo Iudaico: sed cõmunis omnib; populis, quos Dominus ad sui cognitionem vocat: quòdque suo tempore vsque ad fines mundi inter omnes nationes sese expandere & dilatare debuit, quòd & factum est.

Ab initio enim tantũ erat Hierosolymis: inde primũ omniũ in Iudeã, deinde in Samariã, & alias nationes diffusa est, quẽadmodũ id Lucas in Actis commemorat donec in omnibus fermè præcipuis nationibus huius mũdi verã & visibiles fuerint Ecclesię Christi, & ciuitas Dei super mortẽ ædificata, fuerit ab omnibus & ubiq; cõspecta. Cæterũ per Mahometũ, & omnes qui à puro Euãgelio, legitimo vsu sacramentorũ, vera cõfessione, disciplina & obedientia Christi defecerũt, aliõsque secũ in errorẽ abduxerunt, innumeræ rursus Ecclesię in Oriẽte, Aphrica, Græcia, & multis aliis locis dissipatę & extinctæ sũt, regnũq; à multis populis, qui fructũ suũ nõ attulerũt, rursus sublatũ est, adeo vt vera & Catholica visibilis Ecclesia rursus apud paucos populos emergat & inueniri possit. Quamobrẽ Vniuersitas illa per omnia loca, quàm latè hic orbis patet, diffusa, non potest esse verarum Christi Ecclesiarum iudicium.

Hoc autem sensu Vniuersitas verum est ac certum Catholicarum Ecclesiarum Christi iudicium, quòd oportet, vt omnis vera Ecclesia Christi realem & efficacem communicationem habeat, in tota doctrina Euangelij, in sacramentis, confessione, disciplina & obedientia Christi, quã Dominus madauit & instituit, cũ omnibus Ecclesiis Christi, quę in toto

orbe ab initio fuerunt, adhuc sunt, & deinceps futurae sunt.

Quare Vincentius Lirniensis Episcopus, Libro aduersus prophanas Nouationes Catholicum rectè describit, dicens, *Id esse quod ubique, quod omnibus temporibus, & ab omnibus*, intellige Christianis, creditum est. Hoc est, inquit, verè Catholicum.

Hæc vniuersitas in omnibus tribus Ecclesiæ signis, quæ liber tradidit, comprehensa est, præcipuè verò in tertio, confessione videlicet Christianæ doctrinæ, & traditione in totam communionem & obedientiam Christi, Per hanc enim veri Christiani, & veræ Ecclesiæ Christi, se in Christo Domino cōiungunt, vt vera ipsius membra: suntque vnum, sicut ipse & Pater vnum sunt, cum omnibus, qui vnquam membra Christi fuerunt, vel adhuc futuri sunt in vniuerso mundo.

Manifestum igitur est, tertiam reprehensionem in hac secunda huius articuli parte esse meram cauillationem.

De doctrina sine Scripto Ecclesiæ tradita.

CAP. XXVIII.

QUARTA reprehensio secundæ partis de signis & notis Ecclesiæ hæc est, Quod Aduersarij dicunt, Primum Ecclesiæ signum non esse plenè traditū: propterea quod Ecclesia vult scripturam intelligi debere secundum traditionem & intellectum vniuersalis Ecclesiæ: similiter vnitatem exigat & cōcordiam, non in dogmatibus tantum scripturæ, sed etiam in traditionibus, quas nullis scriptis in mysterio ab Apostolicis viris recipimus.

Responsio.

Liber dicit, Primum Ecclesiæ indicium esse veram doctrinam, per Christum & Apostolos in Euangelio, vero intellectu traditam. Et paulò post: Vnitas Ecclesiæ consistit in consensu de doctrina Euangelij, & vero eius intellectu. Quibus verbis verus Euangelij intellectus vnà cum ipso Euangelio coniunctim commemoratus est, qui tantummodo per Christum & Apostolos eius à principio traditus, & ab Ecclesia, vt Catholica traditio conseruatus est. Ad hæc cum in libro & hoc quoque positum sit. Doctrina per Christum & Apostolos Ecclesiæ vero intellectu tradita, in eo sanè comprehenduntur omnes Christianæ doctrinæ, quæ vnquam Ecclesiis vel scripto, vel sine scripto à Deo traditæ sunt. Quæcunque enim traditiones ad verum euangelij intellectū nec pertinent, nec conferunt, tales nec à Deo proficiunt, neque per Christum & Apostolos traditæ, atque idcirco nec Christianæ traditiones sunt.

Sic apparet hanc quoque Aduersariorum reprehensionem ratione carere. Verum de his duobus capitibus, nempe dogmatibus Ecclesiarum, & de intellectu scripturarum nullis scriptis ab Apostolis in mysterio ecclesiis tradito, copiosius dictum est in responsione facta ad duas priores huius Accusationis partes.

Tertia